

Büchlein

De
binde
fidei
entone

1780





18
75
COMMENTATIO
IVRIS NATVRALIS ET CIVILIS

DE
BONAE FIDEI EMTORE
SINGVLARI,
A RESTITVTIONE LVCRIS
QVOD EX RE RVRSVS VENDITA PERCEPIT,
ETIAM
EO IN CASV
QVO VERVS DOMINVS REM SVAM
VINDICARE NEQVIT IMMVNIS.

P. 214.
AVCTORE
L. G. S. A. BÜCHNERO
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE
IN ACADEMIA GOTTINGENSI.

GOTTINGAE,
APVD VIDVAM VANDENHEK

1780.



P



VIRIS
PERILLVSTTRIBVS, GENEROSISSIMIS
EXCELLENTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS.

DE VNIVERSA RE LITTERARIA
ET ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
IMMORTALITER MERITIS.

PRAECEPTORIBVS, FAVORIBVS
ATQVE PATRONIS
INDVLGENTISSIMIS, FAVENTISSIMIS.

G

IV
PO
A

IC

PO
A

C

PO
AE



DOMINO
GEORGIO LVDOVICO
BOEHMERO

IVRIS VTRIVSQVE ET PHILOSOPH. DOCTORI
POTENTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI
A CONSILII IVSTITIAE INTIMIS, ET
IVRIS PROFESSORI PRIMARIO CET.

DOMINO
IOANNI STEPHANO
PÛTTERO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI
POTENTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI
A CONSILII IVSTITIAE INTIMIS, ET IVRIS
PVBLICI PROFESSORI ORDINARIO CET.

DOMINO
CHRISTIANO FRID. GEORGIO
MEISTERO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI
POTENTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI
AB AVLAE CONSILII, ET IVRIS PROFESSORI
ORDINARIO CET.

DOMINO
GVSTAVO BERNHARDO
BECMANNO

IVRIS VTRIVSQVE ET PHILOSOPH. DOCTORI
POTENTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI
AB AVLAE CONSILII ET IVRIS NEC NON
PHILOSOPHIAE PROFESSORI ORDINARIO.
FACVLTATIS IVRIDICAE H. T. DECANO CET.

DOMINO
IOANNI HENR. CHRISTIANO
DE SELCHOW

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI
POTENTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI
AB AVLAE CONSILII, ET IVRIS PROFESSORI
ORDINARIO CET.

DOMINO
IVSTO CLAPROTHO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI ET
IVRIS PROFESSORI ORDINARIO CET.

LIBELLVM HVNC OMNI QVA DECET REVE-
RENTIA ET OBSERVANTIA CONSECRAT.

AVCTOR

CONSPECTVS LIBELLI.

Obligatio b. f. emtoris consideratur. Intr.
§. I-IV.

A) Secundum *leges naturales*. Tom. I. et quidem

a) Ratione *rei emtae in genere*. Part. gener.
§. V-VIII.

b) *in specie* quoad *lucrum* ex alienatione rei
bona fide emtae perceptum. Part. *special.*
et quidem haecce obligatio consideratur

⌘) *per se*. Sect. I^{ma} §. X-XV.

⌘) *Iuxta consecutiones* ex sententia con-
traria promanantes. Sect. II^{da}
§. XVI-XVII.

B) Secundum *leges civiles* et quidem

a) Ratione *rei emtae in genere*. Part. gener.
§. XX-XX.

b) *in specie*, intuitu *lucris* quod ex alienatione
sibi fecit b. f. emtor. Part. *special.* qua in
parte

⌘) Argumenta dissentientium refutantur
Sect. I. §. XXI-XXVII.

⌘) Noua argumenta proferuntur
Sect. II. §. XXVIII-XXIX.

IN-

63

R

cam
alic
cam
min
near

legu
pra
tem
infr
res
in c
tion
for
pos
ten

pos
stin





INTROITVS.

§. I.

Recte quidem HERTIVS in tract. de paroc-
miis lib. 1. parocem. 17. §. 5. elegantissimam
eam vocat quaestionem: *In quantum is, qui rem
alienam ex. c. furtiuam, bona fide comparauit,
eamque bona fide ante interpellationem veri do-
mini in alium transtulit, vero eius rei domino te-
neatur?* ast eadem quaestio, tam propter defectum
legum ciuiliu *directo* eam decidentium, quam
praesertim propter apparentem quandam aequita-
tem naturalem, multis obuoluta est dubiis (vt
infra docebimus) ob eandemque rationem, Docto-
res et antiquiores, et recentiores, super hac re,
in diuersas abierunt sententias, quarum enumera-
tione, cum ad statum praesentis controuersiae rite
formandum maxime conducat, supersedere haud
possumus. Quo vero omnia recte procedant, sen-
tentias Doctorum diuersas, ad tres classes redegimus.

§. II.

I. Alii, b. f. emtorem qui non amplius rem
possidet, ad totius quod pro ea accepit pretii re-
stitutionem cogi posse putant. Huic sententiae

A

multi



multi in historia literaria iuridica iam pridem canentes subscribunt iureconfulti, quorum potiores huc referre lubet :

- 1) SCAPPA, l. 3. de iure non scripto. c. 4. n. 8.
 - 2) PINGIZER, quaest. saxon. 46. nr. 33.
 - 3) BERLICH, p. 4. concl. 44. n. 22.
- et alii. Qui; ratione vtentes: *pretium loco rei succedere*, b. f. emtorem ad restitutionem pretii ex venditione redacti, cogi posse, contendunt.

§. III.

II. Alii priorem reiicientes sententiam: *tantundem volunt restitui, quantum b. f. emtor, ex alienatione factus est locupletior* 1). Huic sententiae, accedunt permulti, magnorum nominum viri, quorum antesignanos hoc loco recensebimus. Puta

A. Ex classe Doctorum iuris naturae:

- 1) GROTIUS, de iure belli et pacis lib. 3. c. 10. §. 6. n. . et in lib. 2. c. 10. §. 2. n. 1.
- 2) PUFFENDORF de iure nat. et gentium lib. 4. cap. 13. §. 12. sub initio

B. Ex classe DD. iuris civilis

- 1) CUIACIUS in commentatione ad African. tract. 2. pag. 948. lit. A. edit. parif. de 1637.

2)

- 1) Semel monemus, nos solum de eo casu sermonem facere, quo vero Domino, rem *suam vindicandi*, deest copia.



- 2) CARPZOV in definit. forens. parte IV. const. 39. def. 9.
- 3) G. A. STRVV in syntagm. iur. civ. Ex. XI. lib. 6. c. 1. §. 13.
- 4) STRYK de act. forens. inuest. sect. I. m. 2. §. 43. seq.
- 5) HERT de paroemiis lib. 1. paroem. 17. §. 5. et quos ibi allegat Doctores (in tomo 3. voluminis 2. commentationum et opusculorum, editionis Hombergkianae) 2).
- 6) I. H. BOEHMER in tr. de actionibus l. 2. c. 2. §. 14. et in compendio pandect. tit. derei vind. §. 8.

Omnes modo dicti DD. sententiam, quam fouent, partim ex iure naturali, partim ex iure ciuili, probare conantur.

§. IV.

III. Alii, sed paucissimi, statuunt: *b. f. emtorem qui rem alienam, reuendidit, bona fide; nequidem ad restitutionem pretii quod LVCRA TVS est, a vero Domino compelli posse, quo pertinent.*

- 1) FRANTZKIVS in resolutionibus lib. 2. resol. 9. num. 125. seq.
- 2) LAVTERBACH, in diff. ad l. 32. ff. de rebus cred.

A 2

3)

- 3) Duplicem quasi sententiam fouet HERT, dum in all. loco tractatus de paroem. simpliciter lucrum restituendum esse putat. In notis vero ipsius ad Puffendorffii ius naturae edit. 1744. et quidem ad lib. IV. cap. XIII. §. 11. et 12. distinguit; vtrum lucrum ex re perceperit, an vero ex commercio id sibi parauerit, illud quidem non autem hoc vero Domino competere contendit.



- 3) MASCOVIVS in notis ad Puffendorffium de iure nat. lib. IV. cap. 13. in notis ad §. XI. et XII.

Iam ad primam quod attinet sententiam, cum fundamento aperte falso et dudum expulso nitatur (nimirum pretium in rebus singularibus succedere in locum rei,) non est, quod in refutandis doctoribus primae sententiae addictis immoremur; praefertim cum eo ipso, dum tertiam quam in rubro libelli professi sumus probabimus sententiam, primam vna refutabimus. Secunda vero opinio, eo penitiori indiget disquisitione, si tertiam quam amplexi sumus sententiam mascule defendere velimus, quo maiori prae nostra suffulta est, iureconsultorum numero et autoritate. Quo vero omnia rite procedant, libello nostro *duplicem* dabimus *tomum*; in cuius *priori* considerabimus: *iura et obligationes b. f. emptoris intuitu lucri ex alienatione rei alienae percepti secundum principia iuris naturalis*. In *posteriori* vero *tomo* eandem contemplationem secundum *ius civile romanum* suscipiemus.

Duplici hac consideratione nobis ideo opus est, ut argumenta aduersaria, quae tam ex iure naturali, quam civili deprompta sunt, ex utroque etiam iure propellere valeamus. 3)

T O.

- 3) Sic satis clare loquitur HERTIVS de paroemiis loco allegato: *Equidem leges quae ex iure romano adferuntur, non per omnia, ad casum quem proposuimus quadrant. Enimvero satis est, nostram sententiam in iure naturali fundari et iure romano non abrogatam esse.*



TOMVS PRIMVS.

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS BONAE FIDEI
EMTORIS, RATIONE LVCRIS
EX ALIENATIONE PERCEPTI,
SECVNDVM LEGES
NATVRALES.

PARS GENERALIS.

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS B. F. EM-
TORIS, INTVITV REI EMPTAE, IN
GENERE.

§. V.

Iura et obligationes b. f. emtoris, quoad lucrum ex alienatione rei perceptum exposituris, non alienum nobis videtur, antea, iura b. f. emtoris *in genere* breuibus discutere; quo, posito generali quodam principio, eo melius, thema a nobis pertractandum ab ovo repetere queamus.

Bonae fidei possessor is dicitur, qui ignorat, sibi non competere ius vi cuius rem possidet; sicque *b. f. Dominus* habetur, ignorans dominium ex quo rem habet sibi competere. Cui opponitur *verus dominus* i. e. penes quem illud est dominium quod *b. f. dominus* ignorat.

Ex quibus facile patet: *Dominium veri Domini*, prius extitisse quam *Dominium eius* qui non nisi b.



fide Dominus est, ideoque posteriorius, non nisi *saluo* priori Dominio cogitari posse.

In omni igitur b. f. Dominio, certum quoddam spatium temporis requiritur, per quod bonae fidei Dominus, verum *ignorat* Dominum, quia statim ac b. f. Domino *verus* innotescit Dominus, non potest non evanescere b. f. Dominium. Duplex in obvio casu, nostrae contemplationi se offert quaestio.

I. An b. f. emtori, per istud intervallum temporis quo de vero Domino non constat, Dominium competere queat. 4) Et

II. Si quod ipsi competat, *quale* hocce sit Dominium quo b. f. emtor gaudet.

§. VI.

Ad primam quod attinet quaestionem: *B. f. emtori Dominium ut tribuatur necesse est.* Rationes cur ipsi dominium tribuimus ex sequentibus patent.

1) „Unicuique ideoque et b. f. emtori competit ius quocunque modo se ipsum perfectiorem reddendi, modo id fiat absque laesione iuris alterius cuiusdam.“ (Cum hocce *ius perfectiorem* se re reddendi ad *iura* nobis *connata* pertineat, nemo de eo dubitare potest.)

2) „Ergo b. f. emtor gaudet iure, per novam quae ipsi se offert acquisitionem *rei cuiusdam* in suum

4) Iura b. fidei possessoris in dubium vocavit IUSTADIVS in quem insurrexit ill. DARTESIVS in Discours über sein Natur- und Völk. Recht. Sena, 1763.



„ suum dominium, se perfectiorem reddendi;
„ attenta eadem quam modo subiunximus li-
„ mitatione.

Posteriorem hanc propositionem tanquam conclusionem ex priori deductam, non deerunt qui negabunt, quia ex notione b. f. emtoris, non nisi *res aliena* ab ipso acquiritur, eiusmodi vero acquirenti, necessario cum *laesione* iuris alieni coniuncta sit, ideoque secundum propriam nostram *limitationem* b. f. emtorem, dominium rei emtae sibi acquirere non posse. Probabimus ergo b. f. emtorem Dominium rei emtae sibi acquirere, absque laesione veri Domini. Nimirum

1. *Per se* acquisitio Domini a b. f. emtore facta, non inuoluit laesionem veri domini, quia haecce acquisitio fit saluo iure veri domini, et b. f. emtor, eandem rem, statim ac Dominus eam vindicauerit, restituere tenetur.

2. *Interdum* fieri potest vt haecce acquisitio Domini b. f. emtori in damnum veri domini vergat; nempe eo in casu, si b. f. emtor rem comparatam, in aliam b. f. alienauerit, abs quo verus Dominus eam vindicare nequit, aut si ipse b. f. emtor *rem* quam suam credidit, destruxerit, vel consumserit. Quod si igitur b. f. emtori Dominium rei emtae negare velimus, id *ex* causis sub Nro 2. adductis, negandum foret. Nobis itaque probandum erit, quod his non obstantibus, b. f. emtori, ius, Dominium rei alienae acquirendi competat. De quo in sequentibus.



§. VII.

Nimirum, si quoque concedamus, acquisitionem Domini b. f. emtoris cum laesione veri Domini in casibus modo prolatis, factam esse, tamen ex sequenti *ratione* iuris naturalis, dominium rei emtae ipsi necessario tribuendum est.

„ Quicumque in collisione obligationum, exceptionem a regula recte format, is, contra
 „ suas non agit obligationes; quia violat legem
 „ *Neminem laedas*, propter statum necessitatis;
 „ atqui, b. f. emtor dum rem alienam acquirat,
 „ eoque vero Domino nocet, exceptionem a regula rite format. Ergo nec dici potest quod
 „ obligationem erga verum Dominum violauerit.

Maiores propositio expediti iuris est, ideoque nec probatione quadam indiget. Minoris vero probationem satis eundem *sequentia* suppedi-
 tabunt;

Ponamus: Caio se offerre occasionem, rem *certam* acquirendi, quam ut habeat, Caii maxime interest. Ex hypothese, Caius, venditorem pro vero Domino habebit, sicque rem adquiret; idem Caius hanc rem in alium quem Titium vocabimus transtulit; et tandem verus Dominus rem suam a Caio repetenti, exceptione *quod non amplius possideat* repellitur. Titius vero in quem alienavit Caius, cum homo sit de cuius domicilio non constat a vero Domino rei vindicatione pulsari nequit; damnum ex hac acquisitione Caii sentiet Dominus, quod, non nisi *omissa* acquisitione, ab eo auertere potuisset Caius tanquam b. f. emtor. Sic vero
 tem



tempore acquisitionis in b. f. emtore *duae* collident inter se obligationes.

1. Obligatio b. f. emtoris, per nouam acquisitionem *proficiam* rei cuiusdam, se perfectiorem reddendi.

2. Obligatio erga verum Dominum qui tempore acquisitionis adhuc latet (ex hypothefi) ne acquisitionem cum eius damno faciat.

In collisione vero, obligationum maiorem sequi debemus; obligatio b. f. emtoris rem adquirendi, *tunc temporis* fortior erat quam obligatio ipsius, omittendi acquisitionem, ne laedatur verus Dominus. Nam

a) Obligatio per acquisitionem rei, perfectiorem se reddendi, est obligatio quae b. f. emtori erga *se ipsum* incumbit, dum *altera* solum sit obligatio erga alium nimirum erga verum Dominum.

b) Ex *omissione* acquisitionis orietur *malum praesens et actuale* (quia huc omissionem sequetur *defectus perfectionis*). Ex *omissione* vero acquisitionis (vt ita dicam) non nisi malum possibile et maxime incertum oriri potest, semper enim ad circumstantias, quae tempore factae acquisitionis adfuerunt, respici debet. 5)

A 5

Ex

- 5) Nimirum quia non nisi *raro*, res a non Domino emitur, praesertim si venditor, abs quo b. f. emtor rem tenet, homo sublestae fidei non fuerit; et licet fieri possit, vt, etiam eo in casu, quo venditor homo integrae vitae est, rem alienam emamus, nempe, si is a quo emimus non nisi b. f. possessor huius rei fuit, hoc tamen non nisi rarissime euenire solet.



Ex hisce praemissis iam sequentes conclusiones pronò fluunt alueo.

1) Bonae f. emtori competit *Dominium* rei emtae sc. vi iuris se ipsum perfectiorem reddendi, per §. VI.

2) Laesio veri Domini, si quaedam ex hac acquisitione domini inde oriatur, b. f. emtori imputari nequit; per deducta in hac §. VII.

§. VIII.

Absoluta priori quaestione sc.: *an b. f. emtori per istud interuallum temporis quo verus dominus ignoratur Dominium competat, nec ne?* nunc ex indecisione prioris huius quaestionis, decisio posterioris (§. V.) eo melius procedet. Nimirum:

Quale sit Dominium quod b. f. emtori durante isto tempore competit?

Ad hanc quod attinet quaestionem: *non possumus non b. f. emtori, tribuere eiusmodi dominium, in re emta, quod, ipsi si rem a vero domino emisset, competeret.* Nulla enim adest ratio cur eius dominium, vlatenus restringamus, potius ratio se offert, propter quam, Dominio, intuitu veri Domini quam maxime libero et illimitato, gaudet. Id quod fluit ex iure se ipse *maxima* qua sine laesione alterius fieri potest, perfectione instruendi. Cum vero per acquisitionem Domini *absoluti* nos perfectiores reddamus, quam per dominium *restrictum* quod acquirimus, sequitur etiam, b. f. emtori, ius concedendum esse, *rem alienam* b. fide in Dominium absolutum et illimitatum redigendi, Pro-



Probatio modo dictorum facile ex applicatione argumentorum quae in §. VI. et VI'. proposuimus suscipi potest.

Praemissis *generalibus* hisce principiis, quae de acquisitione b. f. emtoris, nobis *generatim* praemittenda visa sunt, iam eo melius procedat examen *iurium et obligationum quae b. f. emtori ratione lucri ex re aliena reuendita percepti*, competunt. De quo nobis in sequenti parte speciali agendum est.

T O M I P R I M I P A R S S P E C I A L I S

DE EO, QVOD IVRIS EST CIRCA LVCRVM
QVOD B. F. EMTOR EX RE ALIENA
RE VENDITA REDEGIT.

§. IX.

Iura et obligationes, quae b. f. emtori, ratione *lucri ex re vendita percepti*, competunt, exposituri; ante omnia vt *casum* de quo nobis hoc loco sermo erit, praemittamus necesse est.

Ponamus: Caium b. fide *rem* de Sempronio emisse, *pretio* = L. eamque b. fide in Titium, *ignotum* quendam virum alienasse, *pretio* = LX. Ab hocce Titio, quia de ipsius domicilio non constat, *verus Dominus* rem suam vindicare nequit; hoc in casu vero Domino regressum erga Caium competere volunt, non quidem eo cum effectu ut omne quod pro re accepit pretium restituat, attamen hoc effe-



effectu, ut *lucrum i. e. X.* quod per alienationem fecit, vero Domino restituat.

Nos, in rubro huius libelli, tale ius vero Domino competere negauimus; nunc nostrum erit, eam, quam professi sumus sententiam rationibus firmare, eoque ipso *contrariam* refutabimus *opinionem*. Sed quo omnia quae huc pertinent eo melius exhaurire queamus, obligationem b. f. emtoris, ratione huius *lucri*, duplici considerabimus respectu

1. Per se.
2. Secundum *consequencias*, quae cum sententia nobis contraria cohaerent.

SECTIO I. SISTENS IURA ET OBLIGATIONES B. F. EMTORIS PER SE CONSIDERATA.

§. X.

Quod si igitur iura et obligationes b. f. emtoris, quoad *lucrum* perceptum nobis consideratae sint; certiori, ut credimus, modo procedere haud facile poterimus, quae si obligationem, quam vulgo ipsi ratione huius *lucri* imponunt, secundum *omnes modos, quibus iuxta leges naturales* obligatio quaedam *contrahitur*, perpendamus; quo facto, si in nullo horum modorum, *rationem* supradictae obligationis, reperiamus, nulla quoque eum ratione *lucri* tenere potest obligatio.

§. XI.



§. XI.

Duplici modo (vt inter omnes constat) contrahitur obligatio; nempe *aut per se* i. e. si per aliud quoddam, cui inhaeret, et quod in rō nostrum recipimus *non* contrahitur *aut per consequentiam* i. e. si per tale quid, cui inhaeret, et quod acquirimus — contrahitur.

Ponamus autem, obligationem b. f. emtoris, ad restitutionem *lucris*, *per consequentiam* contrahi, tunc necesse est, vt *ex acquisitione* rei alienae suam ducat originem. Quia vero *ex acquisitione* rei alienae bona fide facta, vero Domino nonnisi ius *rem* suam vindicandi competit; *lucrum* autem quod is qui b. f. alienavit percepit, pro re ipsa haberi nequeat, satis vt nobis videtur, liquet; ex pristina vt ita dicam rei alienae acquisitione, nullam pro restitutione *lucris* deduci posse obligationem, ideoque nec obligationem b. f. emtoris quam vulgo ipsi imponunt — *per consequentiam* contrahi.

§. XII.

Ex §. antecedenti satis patet, supra dictam obligationem b. f. emtoris, *per consequentiam* haud contrahi, iam in sequentibus dispiciemus, vtrum *per se* i. e. absque respectu ad rem alienam a b. f. emtore olim possessam contrahatur, nec ne? Duplici vero ratione *per se* contrahi potest obligatio sc. *aut mediate* i. e. interueniente quodam pacto obligatorio *aut immediate* i. e. nullo interueniente quodam pacto obligatorio. *Priori* modo, obligatio b. f. emtoris, contracta esse nequit; quia non pactus est cum vero Domino de resti-



restituendo *lucro*, eo in casu, quo rem suam vindicandi ipsi deesset copia.

§. XIII.

Quod si autem *per se immediate* i. e. nullo interueniente pacto obligatorio, b. f. emtorem obligatio restituendi *lucrum* tenere debeat; *duplici* hoc iterum fieri posset modo. Nimirum; *aut occasione laesionis* contraheretur haec obligatio, *aut citra casum laesionis* sc. occasione alius *rerum status* seu vt vulgo loquantur, *occasione causarum figurae*, sub qua alicui, *immediate a legibus naturalibus obligatio quaedam imponitur*. Videbimus ergo: *an ex capite laesionis* bonae fidei emtor ad restitutionem *lucris* quod ex alienatione rei fecit, compelli queat?

Laesio cogitari nequit, absque *turbatione alterius in τὸ Suo*. In τὸ Suo igitur vt verum dominum turbet b. f. emtor, si *lucrum* haud restituat, necesse est.

Quia vero τὸ Suum, nonnisi *eas* complectitur obligationes, *quibus quis iam instructus est*; *lucrum* autem quod ex alienatione percepit b. f. emtor, ad eas referri nequeat perfectiones, quibus iam instructus dici potest verus dominus; 6) satis liquet:

- 6) Id satis iam ex ipsa sententia, dissentientium, clarum est, nam dum statuunt. quod *eo demum* in casu, quo verus Dominus rem suam vindicare nequit, b. f. emtor ad restitutionem *lucris* cogi queat, eo ipso quoque concedunt, *lucrum* b. f. emtoris nondum ad τὸ suum, veri Domini pertinere. Accedit, quod tamdiu, quamdiu de vero Domino non constat, nemini nisi b. f. emtori competere queat,

liquet; b. f. emtorem, si non restituat *lucrum*, Verum Dominum, non turbare in *τὸ Suo*, ideoque nec ex capite *laesionis* ad eius restitutionem cogi posse.

§. XIV.

In §. XI. probauimus, obligationem b. f. emtoris restituendi *lucrum*, per *consequentiam* haud contrahi. In §. XII. docuimus eam nec per *se* *mediate* oriri. In §. III. exposuimus, eam nec *immediate* ex capite *laesionis* proficisci. Iam secundo, nobis discipiendum est, utrum haecce b. f. emtoris obligatio, *citra casum laesionis*, *ex eiusmodi causa oriatur*, *sub qua, immediate a legibus obligatio quaedam imponitur*, et cum sententia eorum qui b. f. emtori restitutionem *lucris* imponunt, in hac ipsa *causa* se fundet, in eam (tantum modum contrahendi obligationem) paulo exactius inquiremus.

Vnanimis DD. iuris natura est opinio: praeter obligationem affirmatiuam: *suum cuique tribuendi*, et inde profluentem negatiuam: *neminem laedendi*, alias adhuc dari obligationes *perfectas*, quae *citra casum laesionis*, *immediate per leges naturales* constituuntur, et huc varios referunt casus 7), pra-

- 7) Horum recensum inter ceteros quoque dat ill. NETTELBLADT in *systemate elementari, vniuersae iurisprudentiae naturalis*. §. 164. et 165. Verum, secundum nostram sententiam, haecce obligatio, quae *immediate ex lege* oriri dicitur, adhuc aliquid habet *questionis*. Nam cum *lex naturalis*, nos obligare haud possit, absque



praesertim, autem eum casum; quo quis eum damno alterius fieret locupletior, nisi hoc vel illud fiat vel non fiat, ipsumque hoc contingere statuant, si b. f. emtor, lucrum quod ex alienatione rei percepit, vero Domino rem suam vindicare non valenti, restituere nolit. Ita GROTIUS de iure belli et p. lib. 2. c. 10. §. 2. n. 1. De rebus non extantibus hoc humano generi placuit, ut si tu, ex re mea factus es locupletior, me rem non habente, in tantum tenearis in quantum es factus locupletior; quia quatenus ex meo lucratus es, plus habes cum ego minus habeam; rationem addit; introducta autem sunt Dominia ad servandam aequalitatem, in eo scilicet ut quisque suum haberet, et idem GROTIUS lib. 3. c. 10. §. 6. num. 2. — quod si rei possessor, culpa exfors eam confususserit, aut alienaverit, non tenebitur, nisi in quantum censerit potest locupletior. Ita quoque PUFFENDORFIUS lib. IV. c. 13. §. 12. et iisdem verbis GROTII utitur HERTIUS, loco supra allegato, pro tuenda ipsius sententia.

Ex
que ratione sufficienti, haecce vero ratio obligationis immediata (ex hypothefi) nec ex obligatione affirmatiua: suum cuique tribuendi; nec ex obligatione negatiua: neminem laedendi promanare possit, alias enim, non immediate ex lege, sed occasione laesiois alterius, obligatio contraheretur, facile patet huius obligationis immediatae, nullam dari posse rationem. Referuntur quidem ad illam, nonnulli casus, quibus positus, immediate ex lege aliquem obligari credunt. Sed hi casus partim nonnisi iure imperfecto nituntur, partim iam ex obligatione suum cuique tribuendi explicari possunt.

Ex his quae protulimus videri potest, modo memoratos autores *rationem* obligationis quam b. f. emtori imponunt *in eo* quaerere, quod alioquin b. f. emtor damno veri Domini locupletaretur ideoque eum imediate ex lege, ad restitutionem obligari. Quod si autem regulam: *Nemo cum damno alterius fieri debet locupletior*, pro fundamento huius obligationis habere velint, haec regula, adeo *late* ab ipsis interpretanda erit, ut quoties ex negotio seu facto quodam *Unus damnum senserit alter vero lucrum perceperit*, toties quoque *hic* ad restitutionem lucri cogi queat; eundemque generalem effectum, regulae: *Nemo cum — locupletior* etc. tribuit GROTIUS loco supra all. Verbis: *quia quatenus ex meo lucratus es, plus habes, dum ego minus habeam*; hisce vero positis prona sequetur consequentia: nos iure quodam, quod nobis competit *toties* uti non posse, *quoties* usum huius iuris ex parte *nostra* *lucrum*, ex parte vero *alius* cuiusdam *damnum* sequitur, quia nos dum nostro utimur iure, cum damno alterius reddimur locupletiores et plus habemus dum alter minus habet, ideoque ad restitutionem *lucri* ex usu nostri iuris percepti tenebimur. Eiusmodi vero *restrictionem generalem*, iuris quod nobis competit, nemo certe pro iuri naturae *consentanea* sed potius pro iuri nat. *contraria* habebit.

§. XV.

Ex antecedentibus vidimus, propositionem illam: *quod nemo cum damno alterius fieri debeat locupletior*, indeque profluens ius indemnitatem postulandi ex lucro quod alter percepit, non omnimodo

B

modo



mode et simpliciter in *quouis casu* quo vnus damnnum alter vero lucrum sentit, applicari posse, nisi alterum in libero vsu iuris sui (contra legem naturalem) turbare velimus. Restrictiones igitur huic regulae vt subiungamus necesse est, quae ad sequentia redeunt; Nimirum: *Nemo cum damno alterius fieri potest locupletior.*

Niti:

1. *Damnum* quod vnus ex negotio sentit, dum alter fit locupletior, tale sit, quod ille *sua* sentit culpa, vel:

2. *Damnum* quod quis sentit, alter dum fit locupletior, *iure datum* sit, i. e. tale quod quis ex eo sentit, quod alter suo iure legitimo modo vsus sit 8).

Iam vero in applicandis hisce duabus limitationibus ad nostrum casum, *prior* quidem exulat, quia dici nequit, quod damnnum, quod verus Dominus sentit, dum b. f. emtor fit locupletior *tale* sit, quod sua sentit culpa.

Ast quod ad *secundam* quam subiunximus attinget restrictionem, haec ad obuium nostrum casum, non potest non optimo applicari iure, cum statim in sequentibus demonstrabimus, quod *damnum*, vero Domino contingens, dum b. f. emtor lucrum facit, damnnum sit a. b. f. emtore optimo suo iure datum. Nam:

Ex parte generali et quidem ex §. VI. VII. et VIII. conflat: b. f. Emtori competere *iur* Dominium

8) Ita ius indemnitate exigendi ab altero qui locupletior existit, optime restringit illustr. NETTELBLADT in iurisprud. Naturali §. 240. Restitutio lucri autem, a vero Domino non nisi ex iure indemnitate postulari potest.



nium *rei* acquirendi, ipsique per istud interval-
lum temporis, quo verus Dominus ignoratur, com-
petere *Dominium absolutum et plane liberum, nulli
restrictioni obnoxium*; ex eiusmodi vero Dominio,
facultas alienandi liberrima, prono fluit alueo;
quicquid igitur *lucri*, ex hac alienatione in b. f. em-
torem redundat, quicquid vero *damni* exinde ve-
rus Dominus sentiet, *utrumque* iure optimo b.
f. emtoris continget, ideoque nec *vero* Domino
ius indemnitatis contra b. f. emtorem, ad conse-
quendum *lucrum*, competere potest.


Ea quae hactenus demonstravimus, satis iam do-
cent, *vero* Domino praeter ius vindicandi rem suam
a possessore, et regressum contra eum qui ipsi do-
lose rem abstulit *nullum plane* ius erga b. f. emto-
rem qui lucrosa alienatione rem possidere desit,
competere; nunc nostrum est, dissentientium opinio-
nem tanquam e diametro nostrae sententiae contra-
riam, refutare, quod cum successu fieri posse cre-
dimus, si *consequentias* ex decisione *contraria* hu-
ius casus promanantes, lectoribus nostris expona-
mus. De quo in Sectione II.

SECTIO II.

SISTENS CONSEQUENTIAS
NONNULLAS, EX SENTENTIA
NOSTRAE OPINIONI CON-
TRARIA, PROFLVENTES.

§. XVI.

In limine nostri libelli et quidem in §. III. In-
troitus, recensum dedimus iureconsultorum contra-



riam a nobis fountium sententiam, quippe qui, b. f. emtorem de iure Naturae, ad restitutionem *lucris* cogi posse, eo in casu quo verus Dominus rem suam vindicare nequit, contendunt. Jam vero ex deductis in I. Sectione, refutatio huius sententiae contrariae satis iam liquet, ideoque etiam facile ulteriori refutatione carere possemus; ast cum in *decisione* casus cuiusdam dubii ex principiis iuris universalis, necesse sit, (si modo iusta et adaequata esse debeat eiusmodi decisio) vt *aliis indubitatis principiis legum naturalium haud repugnet*, casumque obuium ita decidat, vt secundum hanc decisionem, in eodem casu *nihil dubii* relinquatur, nunc sententiam nobis contrariam, secundum *duas* hasce regulas ad examen vocabimus.

Ponamus igitur b. f. Emtori iniungi posse obligationem, *lucrum* ex alienatione b. fide facta, eo in casu quo Dominus rem suam vindicare nequit restituendi. Tunc:

I. Consecutio inde promanans haec erit: *quod b. f. emtor casum praestare teneatur*. Nam ex hypothesi, tunc demum *lucrum* restituere tenetur b. f. emtor, *si Dominus rem suam vindicare nequit*; quod cum ab eiusmodi nexu et concursu circumstantiarum pendeat, quas ex ignorantia plane inuincibili praevidere non potuit b. f. emtor, satis patet, b. f. emtorem, si *damnum* quod ex eiusmodi casu sentit verus Dominus, ex *lucro* percepto resarcire debeat, eo ipso ad praestationem *casus* cogi; id quod tamen, sepositis quoque omnibus principiis iuris, statim primo intuitu omni aequitati repugnat, cuius tamen a nobis dissentientes se profitentur studiosissimi. Potius casum sentire debet



debet Dominus, cuius *rem propriam* eiusmodi casus afficit. Praesertim cum fieri queat vt *mero* quodam casu facultas vindicandi vero Domino intercipiatur. Nimirum: *duplici* modo Dominus iure suo rem vindicandi excidere potest.

1) *Ex persona* eius in quem *rem* alienauit b. f. emtor, e. g. Si hiccenous possessor vir quam maxime ignotus fuerit, vel ad extremas oras maris secontulerit; vel si rem consumserit vel destruxerit,

2) fieri potest, ut non quidem *ex persona* noui huius possessoris, sed alio quodam *mero casu* facultatem suam rem vindicandi amittat. Sc. ponamus: b. f. emtorem rem alienasse in *conciuem* veri Domini, absquo eam quouis momento vindicare potuisset, aut fulmine, incendio, morte naturali etc. perit res 9), quid quaesumus iniquius comitti potest, quam si vero Domino, demum post rei suae interitum, pristinam lucrosam alienationem resistentem, regressus erga b. f. emtorem ad restituendum *lucrum* tribuatur? Inprimis cum aequum sit, ut propter *periculum evictionis*, quod in casum rei vindicationis b. f. emtorem sequitur, ad ipsum quoque perceptio lucri pertineat.


§. XVII.

In §. anteced. sententiam aduersariorum, secundum primam quam in eodem §. XVI. tradidimus

B 3

regu-

9) Fatemur equidem, dissentientes a nobis quotquot sunt, huius casus in scriptis suis nullam facere mentionem, sed cum *generaliter* statuunt: in defectu rei vindicationis *lucrum* vero Domino restituendum esse, simulquoque ad hunc casum *mere talem*, extendunt lucri restitutionem.



regulam examinauimus, indeque eruimus, hancce opinionem principio iuris Nat *casum sentit Dominus*, aduersari. Jam *sententiam* a nostra diuersam iuxta secundam quam dedimus regulam ponderabimus, ita vt videamus, *quid* haecce sententia in eodem casu, *indecisi* et *incerti* relinquat. Nimirum fieri potest: vt eiusdem rei alienae *plures* adsint b. f. emtores *successiui*, nimirum: si ponamus

„CAIUS rem a non Domino emit, eamque
 „revendit MEVIO hic vero eandem rem iterum
 „alienavit in SEIVM. Vterque, tam CAIUS
 „quam MEVIUS lucrum ex alienatione fecerunt,

Iam vero omnes concedunt: Regressum erga b. f. emtorem ad lucrum consequendum, vero Domino nonnisi ad consequendam indemnitate[m] competere, statim igitur ac *lucrum* veram *rei aestimationem* excedit, hyperocha ex lucro penes b. f. emtorem remanebit. Ponamus igitur veram *rei aestimationem* = X. CAIUS qui *primus* rem emit V. eandem rem vendidit MEVIO pretio = XV. Ergo lucrum fecit = X.

MEVIUS iterum, *rem* quam XV. emit in SEIVM alienavit pretio = XXV. lucrum itaque fecit SEIVS = X. Haec omnia saepius contingere, saltim possibile esse nemo negare poterit. Vtriusque lucrum petere nequit verus Dominus (ex notione iuris indemnitate[m]) merito igitur quaestiones indecisae remanebunt: *Vtrum solum a CAIO tanquam ab eo, qui primus vendidit lucrum petere queat? An a MEVIO tanquam ab eo qui ex post rem re vendidit, hocce lucrum*

crum exigere possit? Sive an ab utroque pro rata veram rei suae aestimationem postulare queat?

Noua iterum quaestio oritur. Si ponamus: Verum rei pretium = X. CAIVS, MEVIO rem vendidit pretio = XV. lucrum itaque fecit CAIVS = V. MEVIUS vero rem vendidit SEIO pretio = XX. Ergo *lucrum cepit* = V. Merito h. l. quaeritur: an verus Dominus tam a CAIO quam a MEVIO *lucrum petere queat*, quo ex utroque lucro, totam rei suae aestimationem *saluam habeat*, nec ne? sed potius lucro *alterutrius contentus esse debeat?*

Omnes hae quaestiones, ineuitabiles sunt, *salua manente sententia aduersariorum*; Quod si vero secundum *eam* quam nos amplexi sumus *sententiam*, res decidatur, supra memoratae quaestiones *plane* oriri nequeunt; ideoque nec opus est, ut earum *resolutioni* insudemus, sed potius *eam*, dissentientibus relinuemus.

TOMVS SECVNDVS.

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS BONAE FIDEI EMTORIS, RATIONE LVCRI EX ALIENATIONE B. F. FACTA PERCEPTI, SECVNDVM LEGES CIVILES ROMANAS.

INTROITVS.

§. XVIII.

Hactenus iura b. f. emtoris, intuitu *lucris percepti*, secundum principia iuris naturalis examinavimus



vimus, iam iuxta propositum nostrum, eandem rem de qua egimus, ad principia *legum civilium romanarum* reuocabimus, 1) quo appareat, nec secundum hasce leges, ullam existere supradictum lucrum restituendi obligationem. Quo quidem in negotio, nos multum iam profecisse lectori videri potest, si perpendat: Romanos in definiendis casibus iuridicis, apices iuris Naturae seu Gentium (si pauca exceperis negotia), quam maxime fuisse secutos, ideoque saltem eo in casu quo leges romanae *expressae*, id quod iuris Naturae est, haud mutauerint, semper pro consensu iuris *romani* cum iure *Naturae*, praesumptionem militare, si nempe quaeritur quid in eodem casu secundum leges romanas — *iuris* sit. Eo maiorem vero, (propter hanc inter ius nat. et ius romanum consanguinitatem 2) merebitur assensum, nostra quam modo ex iure Naturae repetiuimus sententia, si quoque per argumenta ex legibus civilibus deprompta, ipsi conciliabimus fidem. Quod, ut rite fieri queat, sequenti procedere lubet modo:

Tomum

- 1) Semel h. l. monemus lectorem, nos de eo solum cogitare casu, quo b. f. emtor, non eo usque rem possederit, ut eam per praescriptionem acquisierit, hoc enim in casu plane inutilis erit de restitutione *lucri* quaestio.
- 2) Lubentissime ergo assentimur (quoad Thesis) HERTIO paroem. 17. ita Verba facientis: *Enimvero satis est, nostram sententiam in iure naturali fundari et romano iure non abrogatam esse.* Probe sensit Vir eruditissimus, quanta sit in obuia nostra quaestione, a iure Nat. ad ius romanum consequentia.



Tomum secundam in duas dividemus partes;
Pars generalis, sistet iura b. f. emtoris in
genere secundum leges civiles.

Pars Specialis tractabit iura b. f. emtoris
in Specie ratione *lucris* quod ex alienatione *rei*
percepit. Et quidem:

Sectione priori: Argumenta dissentien-
tium refutabimus.

Sectione posteriori: Noua pro fir-
manda nostra sententia afferemus argumenta.

TOMI SECUNDI,

PARS GENERALIS.

DE IURIBVS B. F. EMTORIS IN GENERE 3)
SECUNDVM LEGES CIVILES.

§. XIX.

Bonae fidei emtoris definitionem satis curatam
nobis suppeditat **MODESTINVS** in l. 109. D.
de Verb. signif. Verbis: *Bonae fidei emtor esse vi-*
detur, qui ignorauit, eam rem alienam esse: aut
putauit, eum qui vendidit, ius vendendi habere
puta procuratorem, aut tutorem esse. Iam si quae-
stio oritur: *quale sit ius quod leges ciuiles, ipse*
per illud tempus, quo verus Dominus ignoratur
tribuunt? — Leges b. f. emtorem, instar veri Domini,

B 5

omni-

- 3) Superflua quodammodo videri possent, ea quae
in hac parte Generali, -- de iuribus b. f. emto-
ris in genere a nobis proferuntur; ast infra in
parte speciali Tomi secundi, §. 29. magnum in-
de pro nostra sententia, repetemus argumentum.



omnibus iuribus veri Domini gaudere iubent; satis id declarat PAVLVS in l. 36. D. de du. R. iuris. Sic verba faciens: *Bona fides tantunde m possidenti praestat, quantum veritas* 4), *quotiens lex impedimento non est.* Idem PAVLVS modo allegatus in l. 48. D. de acquirendo rerum Dominio: *Bonae fidei emtor non dubie percipiendo fructus etiam ex aliena re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia et opera eius peruenerunt, sed omnes; quia quod ad fructus attinet loco Domini PENE est, ad quam legem conferri meretur: NOODT in probabiliu iuris ciuilis lib. II. cap. 7. quippe qui satis luculenter docet* 5): Imperatorem ideo voluisse, fructus bonae fidei emtoris esse; quia ipsi *quasi Domino*, est ius colendi et curandi fundum, quem iusta ex causa, a non Domino accepit bona fide.

§. XX.

Ex verbis prioribus, legis in §. anteced. all. *b. fides emtori tantundem praestat quantum veritas;*

pro-

- 4) Vocem -- -- *Veritas* idem denotare, quam *id quod actu est*, ideoque h. l. *actuale Dominium*; ex aliis legibus, satis patet. Ex. gr. ex l. 207. de Reg. Iur.
- 5) Eodem quoque modo, idem laud NOODT loco all. interpretatur §. 35. Inst. de rerum divis: *Si quis a non Domino quem Dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliaue qualibet in sua causa, aeque b. f. acceperit, naturali ratione placuit fructus, quos percepit, eius esse, pro cultura et cura; ibique recte annotat: Curam et culturam in hoc §pho non factum significare, sed ius curae et culturae, quod b. f. emtori, quasi Domino conceditur, interpretatione bonae fidei.*



prona fluit consequentia, b. f. emtorem per istud temporis interuallum, quo verus Dominus ignoratur *instar veri Domini* esse; quicquid igitur hac de re, per istud tempus *disposuerit*, id eodem gaudebit effectu et valore, ac si a vero Domino susceptum esset; quia b. f. emtori, *idem* ius tribuit, quam actuale Dominium. Ex posterioribus autem *verbis* eiusdem legis — *quotiens lex impedimento non est*, sequitur: quod, si certo quodam in casu *bona fides*, emtori tantundem praestare non debeat, quantum verum Dominium, *intuitu huius casus*, specialis exceptio, in legibus expressa, requiratur. Quia vero exceptio, in casibus non exceptis, regulam firmat, facile patet, citra hoc casus *specialiter* in legibus *exceptos* b. f. emtori 6), omnia iura *veri Domini* competere, ideoque *eum* qui *absque speciali lege*, certo quodam in casu b. f. emtori, *ius* quoddam vero Domino competens denegat, *in probatione deficere*.

PARS

- 6) Et quidem non solum contra *Tertium*, non *Dominum*, sed quoque, contra *verum Dominum*, id quod satis apparet, ex legibus modo adductis, qui de *perceptione fructuum* loquuntur, hoc enim contra verum Dominum percipit b. f. emtor. Nec obstat *obligatio b. f. emtoris vero Domino* quam primum eam vindicauerit restituendi quippe quae *vero Domino* hoc modo incumbere nequit, haec enim obligatio b. f. emtoris, *multis in legibus* agnoscitur, vt ex toto titulo de rei vind. patet.



PARS SPECIALIS.
EXHIBENS IVRA ET OBLIGATIONES
B. F. EMTORIS RATIONE
LVCRI QVOD EX ALIENA
TIONE PERCEPIT.

SECTIO I.

REFVTATIONEM ARGVMENTORVM DISSENTIENTIVM CONTINENS.

§. XXI.

Cum in fronte huius libelli, eam amplexi simus sententiam, quae b. f. emtorem qui *rem* alienam alienauit et inde lucrum fecit, eo in casu, quo verus Dominus a possessore eam vindicare nequit, a *restitutione lucri* liberat; haud parum e re nostra futurum censuimus, si, prius quam specialiora pro nostra opinione afferamus argumenta, *singulari* leger, quae a dissentientibus nostris ex iure ciuili proferuntur perlustremus; quo eo facilius in *Sectione 2.* nostrae sententiae *causa* probatio. Hasce vero quae a dissentientibus allegantur leges, doctrinae causa, in *principales* et *minus principales* diuisimus. 6)

§. XXII.

I. Lex quae a dissentientibus excitatur est l. 23; §. 5. D. de rei vind. *Ideoque in omnibus his*

6) Praeoccupationis causa lectoribus nostris, h. l. referre lubet, *quae de legibus* quibus vtuntur dissentientes, ipse confessus est HERTIVS dissentientium Antesignanus, in tractatu de paroemiis paroemia 17. -- *Equidem leges quae ex iure romano adferuntur vt l. 23. ab. l. 32. de rebus cred. non per omnia ad casum, quem proponimus, quadrant.*



casibus, in quibus neque ad exhibendum, neque in rem locum habet, in factum actio necessaria est. 7)

Ex hac lege probationem suae opinionis, sequenti adstruere nituntur ratiocinandi modo:

1) „ Quocunque in casu, neque ad exhibendum, neque in rem competit actio; ibi *actio in factum* locum habet, atqui ad consequendum *lucrum* a b. f. emtore perceptum, vero Domino, nec actio in rem nec ad exhibendum conceditur: Ergo actio in factum ad consequendum *lucrum* vero datur Domino

Hic praemissis ulterius ita concludunt:

2) „ Vbi leges concedunt *actionem*, ibi quoque *ius* supponunt; atqui vero Domino *lucri* consequendi *causa* datur *actio*. Ergo quoque gaudet *iure* *lucrum* a b. f. emtore exigendi.

Quod si vero priorem syllogismum, quippe quo nititur falsitas posterioris, paulo exactius ponderemus, falsitas ipsius facile pernosci poterit. Quis enim *solo ex defectu* actionis in rem, et actionis ad exhibendum, statim concludere poterit: Ergo, *actio in factum* datur. An non eodem iure, sequentem in modum concludere possumus: Ad consequendum id quod *nullo iure* nostrum est, leges nec actionem in rem, nec ad exhibendum concedunt, ergo actione in factum petere possumus id quod *nullo iure* ad nos pertinet. Hoc vero praesupposito, a competentia actionis, ad *ius ipsum* con-

7) Hac lege 23. all. vtitur prae aliis. Ictus eximius I. H. BOEHMER in compendio digest. tit. de rei vind. §. 8. et in tract. de actionibus sect. 2. c. 2. §. 14.



concludere liceret; nimirum: Si leges ad consequendum id quod nullo iure nostrum est actionem in factum tribuunt; ergo quoque nobis denegari nequit ius ad id quod haud nostrum est. Nam ubi actio ibi quoque ius. Quae omnia tamen nemo non pro aperte falsis habebit.

Ponamus igitur, aut non concedamus; legem 23. §. 5. all. -- *concedere actionem in factum*, eo in casu ubi nec actione in rem, nec ad exhibendum experiri licet; id tamen *non quouis de casu*, ubi deficiunt actiones *in rem* et ad *exhibendum*, valet sed praesupponit l. 23. §. 5. *nobis*, ius quoddam, a legibus civilibus agnatum, competere, ad quod persequendum, neque actione in factum neque in rem agi potest, et tunc *actione in factum* experiri licebit. In applicatione ergo huius legis 23. §. 5. ad nostrum casum, *necessario* antea quaesitio praedicialis decidenda erit: Vtrum vero Domino ius quoddam ex indultu legum civilium, ad consequendum istud *lucrum* competat? hoc si potatum dederint dissentientes, tunc actionem in factum, ad persequendum hocce ius a legibus vero Domino concessum, larga manu concedemus.

§. XXIII.

In §. anteced. probauimus, regulam illam: *quod in omni casu, ubi neque in rem, neque ad exhibendum actio competit; actione in factum experiri liceat*, quam dissentientes in verbis legis 23. §. 5. inuenisse putant, non ita simpliciter et generaliter esse veram, sed semper a legibus praesupponi ius quoddam, illi, qui hac actione in factum uti vult competens.

Prae-



Praeter hanc quam in §. anteced. deduximus restrictionem, nouum quoddam se offert ex ipsa l. 23. pro nostra opinione argumentum, nimirum: si l. 23. all. perlegamus, statim inueniemus, hanc legem, nequidem eam quae vulgo ibi inueniri solet, et quam supra in §. anteced. exposuimus tradere regulam, sed potius de *specialibus quibusdam* sermonem facere *in quibus* nec actioni in rem, nec ad exhibendum sed solum actioni *casibus* in factum locus datur. Contenta huius legis prout ex ipsis verbis eius pernosci potest, ad sequentia redeunt. — Semper vbi Dominium nobis competit, actionem in rem concedunt leges, ad consequendam *re* nostrum quod penes alterum est, at eo in casu, quo alter rem nostram *per accessionem artificialem* rei suae adiunxit, iuxta hanc l. 23, non statim actio in rem locum habet, sed antea actione ad exhibendum experiendum est, quo res nostra separetur, et demum separatione facta vindicari potest. Haec vbi proposuit lex, *casus quosdam* enarrat, in quibus alter *per accessionem artificialem*, rem nostram rei suae adiunxit, in *quibus* vero, contra regulam quam lex modo tradidit, neque rei vindicatione, neque actione ad exhibendum se. vt separetur res nostra, alterum pulsare possumus, sed vbi solum *actionem in factum* concedit lex, ad consequendum id quod alter ex re nostra existit locupletior, *hiscasibus*, ex mente Cassii, accensetur ferruminatio §), quo casu, actionem in factum suppeditat, ad id, quod alter ex re nostra locupletior est, Verba legis,

§) Pari modo, aliam exceptionem, vbi ad exhibendum agi nequit, suppeditat l. 6, D, ad exhib.



ex quibus ea quae diximus optime intelligi queunt, sic se habent. -- Item quaecunque aliis iuncta, siue adiecta; ea quamdiu cohaerent, dominus vindicare non potest; sed ad exhibendum agere potest, ut separentur et tunc vindicentur: Scilicet excepto eo, quod Cassius de ferruminatione scribit. Dicit enim, si statuæ suae, ferruminatione iunctum brachium sit, unitate maioris partis consumi, et quod semel alienum sit, etiamsi inde abruptum sit, redire ad priorem Dominum ideoque in omnibus his casibus in quibus neque ad exhibendum, neque in rem locum habet, in factum actio necessaria est. Verba -- in his casibus satis denotant: actioni in factum, solum in specialibus quibusdam casibus locum dare hanc legem, minime vero generalem illam regulam, quam hoc loco inuenisse putant dissentientes, ibi reperi.

Ex hisce omnibus evidens est, hanc l. 23. §. 5. nullam probationem, pro iure veri Domini, exigendi *lucrum* a b. f. emtore continere.

§. XXIV.

II. Lex, ad quam prouocant dissentientes, est l. 206. D. de R. I. quae sic sonat: *Iure naturae aequum est, neminem cum alterius detrimento et iniuria fieri locupletiolem.* Ex hac lege concludunt, b. f. emtorem retinendo *lucrum*, cum detrimento veri Domini fieri locupletiolem, ideoque ad eius restitutionem obligati posse. Si vero dicendum quod res est, l. 206. all. potius pro nobis, quam contra nos est. Rationibus nitimur sequentibus.

I. Lex 206. all. admodum generalis est, nam solum

solum *ingenere* ait, *iure naturae aequum esse*, neminem cum alterius detrimento et iniuria fieri locupletio-rem. Quis vero inde statim consequentiam formare poterit: Ergo b. f. emtor, dum lucrum retinet, cum alterius detrimento et iniuria, locupletio-rem se reddit; cum tamen quaestio sit admodum praeiudicialis, vtrum hic casus, de quo nobis in nostro libello sermo est, *eiusmodi* sit, quo quis alterius detrimento sit locupletior.

II. Non in eo solum subsistit l. 206. all. vt quoduis factum quo quis *cum alterius detrimento* locupletio-rem se reddit pro iuri Naturae *contrario* declaret, sed *notanter* subiungit verba: *Et iniuria*. Ergo secundum hanc legem duo requiruntur, si quis contra aequitatem iuris Nat. locupletior dicendus sit. Nimirum requiritur:

a) Vt cum alterius detrimento se locupletauerit, sed hoc vnicum iuxta hanc legem, non sufficit, sed necesse est,

b) Vt locupleratio facta sit cum alterius iniuria — Iniuria vero h. l. idem ac *damnum* denotare nequit, (vt alias quidem saepius in iure nostro hanc sustinet significationem) alias enim superfluum esset verbum — *detrimentum* quod *iniuriam* in hac lege praecedat. Potius vocula ET, quippe quae diferte inter vocem *detrimento* ac *iniuria* posita reperitur, satis denotat, adhuc aliudquid praeter *nudum damnum* (seu *detrimentum*) requiri, si quis contra ius Nat. locupletior dicendus sit; et quia vocabulum — INIURIA in legibus nostris saepissime denotat, *id quod nullo iure fit*, praesertim in materia de
C da-



damno 9), fatis iam liquet, POMPONIVM in hac lege 206. nonnisi eiusmodi locupletationem, cum alterius damno, *pro iuri Nat. contraria* declarare, quae *sine omni iure* fit. Cum vero in Tomo primo, et in parte Generali Tomi secundi probauerimus, b. f. emtorem qui rem alienam lucrosa alienatione b. fide in alium transtert, *suo uti iure*, nec damnum quod verus Dominus inde sentiet, *damnum iniuria* datum vocari potest; ideoque nec secundum hanc legem, bonae f. emtor, contra aequitatem iuris N. locupletior dici potest.

III. Accedit, quod si etiam ponamus, casum quo b. f. emtor *lucrum* retinet, ad casus *speciales*, de quibus l. 206. solum *in genere* loquitur, pertinere, tamen nihil aliud inde sequitur, quam Testimonium quoddam ex iure Naturae, quod POMPONIVS ibi reddit; (inquit enim: iure Naturae aequum esse) in iis vero casibus, ubi quaestio oritur: utrum hoc vel illud sit contra principia iuris naturae, nec ne? maiorem fidem, ac GROTIUS, PUFFENDORFIVS etc. mereri nequeunt iureconsulti romani, ex quibus verbis tamen id sequeretur, quod Dissidentibus hac lege 206, ad probandam conformitatem ipsorum sententiae, cum iure civili, uti nequeant.

§. XXV.

III. Lex quae a dissentientibus excitatur, et in quo nititur eorum opinio, est l. 23. D. de rebus cred. Verba legis sunt: *Si eum Servum, qui ibi*

9) Vti in §. 2. Inst. de lege aquil. l. 9. D. de rit. nupt. l. 1. D. de negot. gest. l. 34. D. de iure iur. conf. BRISSONIVS de Verb. signif. sub voce *Iniuria* No. 1.



tibi legatus sit, quasi mihi legatum possederim et vendiderim; mortuo eo, posse te mihi pretium condicere, Julianus ait; quasi ex re tua locupletior factus sim. 10) At nisi omnia nos fallunt, casus in hac lege propositus, quam maxime diuersus est, ab eo de quo nobis h. l. sermo est, Nam:

I. Adquisitio Serui alieni, tanquam legati, eiusmodi est adquisitio, quae sua natura non mihi lucrosa esse potest. Adquisitio rei alienae a b. f. emtore facta, non nisi *onerosa* esse potest. A diuersis vero ad diuersa, non valet argumentum.

II. Alia praeterea accedit ratio, propter quam decisionem nostri casus, ex decisione casus in l. 23. contenti, petere haud possumus; nimirum: quia Decisio in hac lege 23. contenta plane est *anomala*. Et quidem duplici ex fundamento.

a) Expediti iuris est regula: *In rebus singularibus pretium haud succedere in locum rei*, at nihilominus l. 23. pretium ex alienatione serui alieni redactum in locum serui ipsius, succedere iubet. Exceptionem igitur (et quidem durissimam) a regula continet haec lex; quis vero secundum eiusmodi casum specialissimum, a regula expresse exceptum, decisionem *alterius cuiusdam casus* formare poterit? hic potius iuxta regulam decidendus erit, cum exceptio in casibus non exceptis regulam firmet.

C 2

b)

10) Hac lege praesertim nititur CUIACIUS loco supra all. Verba eius sunt: *Quid si possederim ex causa emtionis? Et hoc quoque casu, si factus sim locupletior, condici mihi potest, ut si pluris vendiderim, quam emerim.*



b) L. 136. D. de reg. iur. regulam tradit: *bona fides, tantundem possidenti praestat, quantum veritas; quotiens lex impedimento non est*. In casu autem quem l. 23. all. nobis exhibet, b. f. possessori servi alieni tanquam legati, tantundem haud tribuitur quam vero Domino servi, (forsitan ob fauorem in ultima voluntate relictorum) hic enim lucrum quod ex eius alienatione fecit restituere haud tenetur; Satis ergo apparet, *exceptionem* a regula in l. 136. tradita, in l. 23. all. factam esse, et casum legis 23. inter eos, referendum esse, *ubi lex impedimento est*, quo minus b. f. possessor, iuribus veri et actualis Domini fruatur; neququam vero ad alios casus extendi posse, sed *hos* potius iuxta regulam: *b. fides tantundem praestat quantum veritas* decidendos esse. Quoniam decisio casus cuiusdam *non excepti*, secundum regulam non vero secundum *exceptionem* fieri debet.

§. XXVI.

Hactenus, in refutandis legibus *principalibus* quibus suffulta est dissentientium sententia, occupati fuimus, iam, ut omnia perficiamus, reliquas adhuc *minus principales* leges quibus itidem nituntur dissentientes enarrabimus.

I. Lex quae huc trahitur est l. 52. D. de rei vind. ex qua praesertim STRVV in Syntagmate J. C. Ex. XI lib. 6. tit. I. §. 13. argumentum petere conatur; quae vero lex, si quod res est aperte dicendum sit, nonnisi maxima cum vi, et obtorto quasi collo, *ad casum nostrum* trahitur, Verba legis



legis sic se habent: *Cum autem fundi possessor, ante litem contestatam dolo malo fundum possidere desit, heredes eius, in rem quidem actionem suscipere cogendi non sunt, sed in factum actio aduersus eos reddi debebit, per quam restituere cogantur, quanto locupletes ex ea re facti fuerunt.* Ex quibus verbis legis, satis apparet, praeter verba: — *in factum actio,* — *restituere* et — *locupletes* quae in hac lege occurrunt, nullam plane analogiam, *inter casum* in l. 52. contentum et *eum* de quo in obuiu agimus libello, intercedere; etenim, non attentis multis quae adsunt disparitatibus, *maxima* profecto in eo deprehenditur, quod l. 52. all. eiusmodi possessoris mentionem faciat, qui *dolo malo* desit possidere, nobis vero sermo est, de b. f. emtore, qui bona cum fide rem alienauit.

§. XXVII.

II. *Lex minus principalis*, quae ab aduersariis excitari solet, est l. 31. §. 1. D. Depositi. Verba eius sunt: *Incurrit hic et alia inspectio, an bonam fidem inter eos tantum, inter quos contractum est, nullo extrinsecus ad sumto aestimare debeamus, an respectu etiam aliarum personarum, ad quas id quod geritur pertinet; exempli loco, latro spolia quae mihi abstulit, posuit apud Seium, inscium de malitia deponentis, virum latroni an mihi restituere Seius debeat? Si per se dantem accipientemque intuemur haec est bona fides, ut commissam rem recipiat, is qui dedit. Si totius rei aequitatem, quae ex omnibus personis, quae negotio isto continguntur, impletur, mihi reddenda sunt, quo facto; sceleratissimo adempta sunt; et proba-*



Hæc lege cumprimis nitur **BENED. CARP-**
ZOV in Definit. for. parte IV. const. 39. def 9.
 ita argumentans: *Nam qua ratione depositarius,*
qui cum latrone, non cum vero Domino contraxit
ex generali iustitia tenetur rem Domino restituere,
 eadem etiam videtur hic emtor obligatus solvere
pretium Domino. Si vero dicendum a nobis quod
 res est, hæc lex a **CARPZOVIO** adducta, in-
 ter omnes leges, quæ a dissentientibus proferun-
 tur, *insimul* meretur locum, et cum dissimilitu-
 do inter casum huius legis, et eum de quo h. l.
 nobis sermo est, *manifestissima* sit, longiori refu-
 tatione huius legis facile superfedere possumus.

SECTIO II.

ARGVMENTA CONTINENS QVAE B. F. EMTOREM A RE- STITVTIONE LVCRİ LIBE- RANT.

§. XXVIII.

Hactenus §. XXI. usque ad §. XXVII re-
 futationi argumentorum dissentientium operam de-
 didimus; id quod si ex æqui lectoris Sententia nobis
 bene cesserit, vltiori probatione nostræ sententiæ
 fere carere possemus. At quia sæpius fit, *ve*
 quis in probatione deficiat, *saluo* ceteroquin ipsius
assertio; ne id dissentientibus nostris contigisse videat-
 ur, non sola infirmitas rationum iptorum nobis suffi-
 ciat, sed præterea quoque *specialia* pro nostra
 sententiâ afferemus *argumenta.* Quæ ad sequen-
 ta redeunt.

Primum argumentum, quod nostram thesin la-
 tis clare probat defunctum est ex l. 22. D. de hered.
 petit



petit. Cuius verba sunt: *An vero quis ex re hereditaria locupletior sit; et id quod amplius habet ex pretio restituere debeat, videndum: nam in oratione Divi Hadriani ita est: Displicite patres conscripti; numquid sit aequius, possessorem non facere lucrum, et pretium quod ex aliena re percipit reddere, quia potest existimari, in locum hereditariae rei venditae, pretium eius successisse, et quodammodo ipsum hereditarium factum. Oportet igitur, possessorem et rem restituere petitori, et quod ex venditione eius rei lucratus est.* Casus in hac lege contentus sequens est: Quidam hereditatem b. fidei possessam cum lucro vendiderat; iam quaestionem mouet iureconsultus PAVLVS „*an si quis, ex re hereditaria locupletior sit, etiam id quod amplius habet ex pretio, restituere debeat?* Decisionem huius quaestionis PAVLVS noster non adeo facilem putat, — *videndum* inquit; quo facto decisionem ex oratione Divi Hadriani format sequentem: — *oportet igitur, possessorem et rem restituere petitori, et quod ex venditione eius rei lucratus est.* Huius vero decisionis rationem praemittit sequentem: — *quia potest existimari, in locum hereditariae rei venditae, pretium eius successisse et quodammodo ipsum hereditarium factum.* Ex quibus verbis patet: Totam rationem huius decisionis iureconsultum inde repetere, quod in locum rei hereditariae venditae pretium eius successisse, et quodammodo ipsum hereditarium factum, videatur; quia vero haec regula nonnisi de *Vniuersitate iuris* valet et de rebus singularibus dici nequeat, quod pretium in locum rei succedat; ergo nec venditor eiusmodi rei
fin-



singularis ad refundendum lucrum ex alienatione redactum cogi potest, quia Oppositorum inter se opposita quoque esse debet ratio.

§. XXIX.

Secundum argumentum pro nostra sententia, repetere possumus ex l. 136. D. de R. I. — *bona fides tantundem possidenti praestat quantum veritas, quotiens lex impedimento non est*, Cont. §. XIX.) *Eadem iura tribuit haec lex b. f. emptori quae vero rei Domino competunt, nisi per leges, tale quoddam ius b. f. emptori, specialiter ademptum sit.* Verus Dominus si rem vendidisset, lucrum exinde redactum ut restitueret cogi non posset, et quia nulla lex proferri potest, quae hanc lucrum restituendi obligationem, b. f. emptori *specialiter imponat*, merito inde concludimus, b. f. emptori *nullam* ratione huius lucri imponi posse obligationem.

Haec sunt, quae de materia satis sane subtili pro viribus proponere voluimus. Interea B. L. quae deficiunt, pro candore tuo, benigna interpretatione suppleas, et si nos hinc inde errasse deprehenderis, festinationi et temporis breuitati, intra quam fuimus coarctati id imputabis, et communi mortalitatis legi nos quoque subiectos esse perpendes. Recte enim IUSTINIANVS noscitur in Nov. 133. c. 5. — *Nullus naturam sic regere potest, ut non erret nihil (cum hoc sit proprium Dei)*; quod cum cuius, etiam maxime senilis prudentiae operi contigerit; nec huic commutationi, mitiora fata polliceri possumus.



nc

one
nter

tia,
bo-
ve-
S.
tori
ges,
um
um
et
um
ter
am

tili
L.
er-
de-
in-
m-
ffe
er
re
m
ai-
u-

Kd 2534

ULB Halle


3

006 663 435



v>n8





B.I.G.

Farbkarte #13

10
75

COMMENTATIO
IVRIS NATVRALIS ET CIVILIS

DE
BONAE FIDEI EMTORE
SINGVLARI,

A RESTITVTIONE LVCR
QVOD EX RE RVRSVS VENDITA PERCEPIT,

ETIAM
EO IN CASV
QVO VERVS DOMINVS REM SVAM
VINDICARE NEQVIT IMMVNI.

P. 214.

AVCTORE
I. G. S. A. BÜCHNERO
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE
IN ACADEMIA GOTTINGENSI.

GOTTINGAE,
APVD VIDVAM VANDENHEK

1780.

Kod 2534

